Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30277
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift



& exasperans dixit ad eam. Quid tibi peccauit eufrasia? Tu sola de sanctis sororibus inuida. cupis sanctum eius abrumpere studium. Non cogitasti quia cum esset de imperiali progenie semetipsam humiliauit propter deum tibi seruiens? Modo sis a consortio sororum separata. xxx. dies pro hac turpissima conturbatione. Iterum dum eufrasia die quadam properasset ad puteum ad hauriendam aquam. trahens eam diabolus intus usque ad profundum dimersit. At illa trahens funem clamabat. xpe adiuua me. Ad hanc uocem currens omnis congregatio extraxit eam absque lesione. Et consignans semetipsam dixit. Tu pessime demon non uinces me. sed usque nunc portabam plenum uas ad coquinam ex aqua. deinceps portabo duo. Ab illa quoque die amplius humilians se. ieiunans et sine somno persistens. donec xpc per eam multos a demone liberaret. Cum iam appropinquasset dies mortis eius uidit abbatissa uisionem de ea. quam narrans sororibus ait. Vidi nuncios ad me uenientes querere eufrasiam. et dixerunt mihi. Assume eufrasiam tecum. et duc eam ante deum. Quam ego assumens ibam cum eis. Cum quoque uenissemus ad quandam portam. statim aperta est nobis. Ego quidem interius appropinquare non potui. sed illi assumentes eufrasiam obtulerunt domino dicentes. Ecce merces tua hic sine fine manebis. Hanc uisionem uidi hodie. et cras morietur eufrasia. Ideo quicumque certauerit legitime sicut uirgo dei eufrasia fecit. habebit coronam cum ea in celestibus regnis. per dominum nostrum ihesum xpm.

Vita sancti Adamnani confessoris.

C. ii. Luna Martii.

Erat in quodam monasterio uir de gente scotorum ad amnanus uocabulo. ducens uitam in continentia et orationibus multum deo deuotam. ita ut nichil umquam cibi uel potus excepta die dominica et quinta sabbati perciperet. sepe autem noctes integras peruigil in oratione transigeret. Que quidem illi districtio uite artioris. primo ex necessitate emendande sue prauitatis obuenerat. sed procedente tempore necessitatem in consuetudinem uerterat. Siquidem in adolescentia sua aliquid commiserat. quod commissum ubi ad cor suum redit. grauissime exhorruit. et se pro illo puniendum a districto iudice timebat. Accedens quoque ad sacerdotem a quo sibi sperabat iter salutis posse demonstrari. confessus est reatum suum peccatique ut consilium sibi daret. quo posset fugere a uentura ira. Qui audito eius commisso. dixit. Gratia de uulnus. grandioris curam medele desiderat. Et ideo. ieiunus. psalmis. et orationibus quantum uales insistere. quo preoccupando faciem domini in confessione propitium eum inuenire merearis. At ille quem nimis rex conscientie tenebat dolor et internis peccatorum uinculis quibus grauabatur ocius desiderabat absolui. adolescentior inquit sum etate. et uegetus corpore. quicquid mihi imposueris agendum mihi ut saluus fiam in die domini. totum facile feram. etiam si totam noctem stando in precibus peragere uel si integram septimanam iubeas abstinendo transigere. Qui dixit. Multum est ut tota septimana absque alimento corporis perdures. sed biduanum satis est obseruare ieiunium. Hoc facto. donec post modicum tempore rediens ad te quid facere debeas et quamdiu penitentie insistere tibi plenius ostendam. Quibus dictis. et descripta illi mensura penitendi. abiit sacerdos. et ingruente causa subita. secessit hyberniam unde originem duxerat. neque ultra ad eum uixta suum condictum redit. At ipse memor precepti eius simul et promissi sui. totum se lacrimis ponere. uigiliis sanctis. et continentie mancipauit. ita ut quinta solum sabbati. et dominica sicut predixi reficeret. ceteris septimane diebus ieiunus permansit. Cumque sacerdotem suum hyberniam secessisse ubique defunctum esse audisset. semper ex eo tempore uixta condictum eius memoratum continentie modum obseruabat. et quod causa diuini timoris semel ob reatum suum compunctus ceperat. iam causa diuini amoris delectatur primus. indefessus agebat. Quod cum multo tempore exequeretur sedulus. contigit eum die quadam de monasterio illo longius egressum comitante secum uno de fratribus. pacto itinere redire. Qui cum monasterio propinquarent. et edificia illius sublimiter erecta aspicerent. solutus est in lacrimas uir dei. et cordis tristiciam uultu iudice prodebat. Quod intuens comes. quare faceret inquisiuit. At ille. cuncta inquit hec que cernis edificia publica uel priuata. in proximo est ut ignis absumens in cinerem conuertat. Quod ille audiens mox ut intrauerunt monasterium matri congregationis uocabulo ebbe curauit indicare. At illa merito turbata tali presagio uocauit ad se uirum. et diligentius ab eo rem uel unde hoc ipse nosset inquirebat. Qui ait. Nuper occupatus noctu uigiliis et psalmis. uidi astantem michi subito quendam incogniti uultus cuius presentia exterius dixit michi ne timerem. et quasi familiari uoce me alloquens bene facis inquit quia tempore isto nocturne quietis non somno in